

www.e-rara.ch

**Dissertatio philosophica, pauca, de toto & partibus, partim ex
metaphysica, partim ex logica, deprompta, continens**

Platter, Felix

Basileae, an. 1646

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23213>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,
PAUCA,
De

TOTO & PARTIBUS,
partim ex Metaphysicâ, partim
ex Logicâ, deprompta,
continens,

Quæ,

DEO DUCE ac AUSPICE,

Consentiente

SPECTATISSIMO, SAPIENTISSIMO
& Amplissimo Philosophorum, inclytæ
hujus Academia Basileensis,
ordine,

SUB MODERATORE,

VIRO Clarissimo & Excellentissimo,

DN. FELICE PLATERO,
Philosoph. ac Med. Doct. celeberrimo, Physices
Profess. digniss. Ordinis Philos. Decano
spectatissimo,

Ventilanda publicè proponit

SIMON BATTIER Basileensis,

Ad diem 23 Aprilis, horâ locoq. solitis.

BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI
Academiae Typographi An. 1646.





V I R I S

AMPLISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
Reverendis, Excellentissimis, Ordinis
Philosophici Professoribus Clarissimis,
Præceptoribus, Patronis, ac Fautoribus
meis, ubique & semper, summâ
observantiâ, colendis ac
prosequendis,

*Hasce meorum studiorum
primitias,*

*In perpetua observantiâ & animi mei promptitudinis
testificationem ac declarationem, debito honore,
submitte dico, offero & consecro,*

SIMON BATTIER,
A. & R.



De

TOTO & PARTIBUS.

THE S I S I.



I ea vocis natura est, ut quam-primū audita vel lecta, tanquam symbolum & signum, rem significatam distincte repræsentet intellectui, *Aristotel. de interpr. cap. 1. paragr. 2. Keckerman. System. Logic. lib. 1. sect. 1. cap. 1.* Ob idque voci homonymæ, titulus veræ vocis meritò adimatur.

Aristotel. 3. Metaph. Keckerm. ibid. Idè res postulat, ut Totius & Partis prius variæ significationes & modi enumerentur, antequam realis ipsorum tractatio incipiatur: quare hujus nostræ dissertationis, duas veluti partes, *ὀνομαπλογίαν* & *πραγμαπλογίαν*, constituimus.

II.

Ac primò quidem, ut sicco (quod ajunt) pede prætereamus, quā ratione vox Totius Poëtis ac Oratoribus sumatur, de iis duntaxat significatis recensendis & enucleandis, quæ apud Philosophos trita reperiuntur, maximè erimus solliciti.

III.

Ante omnia Totum sumitur pro Indivisibili, quod partes nec admittit, nec admittere potest, & propterea à nonnullis Negativum dicitur. Sic Deus dicitur totus ubique, & anima tota in corpore. *Keckerman. System. Logic. lib. 1. sect. 1. cap. 22.* nisi quis partes vocaverit, quæ Deo tribuuntur *καθ' αὐτὴν πᾶσιν*, quæ tamen à parte rei, Deo minimè insunt; vel attri-

buta divina, quæ quâ ratione in Deo, vel sint, vel ab eodem distinguantur, an per rationem, vel (ut loquuntur) formaliter, mirum in modum, Conceptuales & Reales inter se dissentiant; *Petrus de Aquila libr. 1. sentent. dist. 8. quest. 4. Suarez repurgatus disput. Metaph. 30. Sect. 6.* Hanc controversiam hîc non nostram facimus, sed Theologis excutiendam relinquimus. Dicitur hoc Totum aliâs Scholasticis Totum Totalitate essentiali, ὅλως ὅλον, Totum perfectionis, Totum perfectionale, perfectione nempe non à partibus dependente.

I V.

Ad hanc Totius acceptionem proximè accedit, quâ sumitur pro perfecto dependente à perfectione seu copulatione Partium. A *Melanch. & Strigelio*, referente *Keckerman. compendio Metaphys. cap. 4.* definitur Perfectum, quod omnes partes habet, omniumque partium summos gradus: hoc Totum communis affectio est, reliquorum Totorum Partes includentium, è quibus quasi resultat. *Arniseus Epitom. Metaph. de uno, pag. 132.* Deus hoc modo perfectus non est, ipse enim perfectus est, ut in se sit perfectissimus, nec ab alio perfectionem obtineat. Quot verò modis totum hoc sumatur, videatur *Aristotel. 5. Metaphys. cap. 16. Hieronym. Sazanorola Epit. Physices, pag. 226. parag. 91.*

V.

Prioribus duabus Totius acceptionibus, annumeranda & ea, quâ sumitur pro tali Toto, quod cum reliquis propriè dictis, analogiam quandam habet, ad quæ reduci potest. Hujus plurimi sunt modi, dum dicitur aliud Totum Per Accidens, de quo in thesi 8. ac 18. aliud Totum in Modo: aliud Totum in Loco: aliud totum in Tempore: aliud Totum Potestativum. Nam cum omnia dicimus, in Quantitate Totum dicimus. Si verò aliquid Quantitatis exceperimus, Quantitatis ponimus partem, ut; *Omnis homo habet sensum.* Et, *Quidam homo habet sensum, Titelm. lib. 5. Dial. cap. 4.* Totum in Modo est aliquid Universale simpliciter, absque aliquo addito prolatum: Pars ejus est aliquid Universale, sed cum particula restringente, aut non minuente, nec tollente totum, ut; *homo, & homo justus, Johannes Pontius in Logic. parv. cap. 25. §. 60.* Totum in Loco est ad-

est adverbium, Locum significans : Pars adverbium Locum aliquem significans, *Morisan. in lib. 2. Tóp. cap. 3.* Totum in Tempore est terminus communis, comprehendens omne Tempus : Pars significat aliquod Tempus partiale : *Combachius Inst. Log. libr. 2. cap. 13.* Totum Potestativum seu Virtutis est, quod dicit ordinem ad plures eas, scil. res, quæ ab ipso emanant : *Fonsæca institutionum Log. lib. 4. cap. 3.*

V I.

Recensitis significationibus Totius, subjunguntur tanquàm specialiores, quando Totum ita accipitur, ut includat Universale, Essentiale, ac Integrale simul, vel Essentiale tam Physicum quàm Metaphysicum, & Integrale, non quâ opponitur Mutilo : *Molineus Logic. libr. 2. cap. 5.* Vel denique strictissime, ut Integrale, quâ opponitur Mutilo, tantum significet, *Sthal. in Reg. Phil. tit. 9. reg. 13. Arist. lib. 5. Metaph. cap. 26. Text. 31. & cap. 27. Text. 32.* Quomodo autem propriè aliquid Mutilum dicatur, videndus est, *Arist. & Fons. ibid.* Hactenus Totius ὁνομαλογία sequitur nunc πραγματολογία.

V II.

Aristoteles libr. 5. Metaphysicorum capit. 26. Text. 31. duas totius affert definitiones, in verbis : ὅλον λέγεται, & μηδὲν ἄπειρὶ μέρος ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσι, καὶ τὸ περιέχον τὰ περιεχόμενα, ὥστε ἐν τῷ εἶναι ὁκείλα. Totum dicitur, cujus nulla Pars eorum abest, ex quibus Naturâ totum nominatur : Et quod ita continet ea quæ continentur, ut illa sint Unum. E' quibus posterior cum hac nostra, Totum est quod Partes continet, optimè congruit. Prior autem nonnihil à scopo nostro est aliena, & Toti strictissime sumto, cui opponitur Κλοσὸν Mutilum, competit.

V I I I.

Est autem Totum duplex, vel Per Se, vel Per Accidens, *Keckerman. System. Logic. libr. 1. Sect. 1. cap. 22.* Totum Per Se est, quod habet partes propriè & perfectè dictas. *Keck. ibid.*

I X.

Totius Per Se divisionem nobis subministrat *Aristotel. loco*

sapius citato: Τῶν δὲ διχῶς, ἢ γὰρ ὡς ἐκαστον ἐν, ἢ ὡς ἐκ τῶν τῶ ἐν.
 Id quod duobus modis accidit, aut ita ut unum quoddam sit Unum, aut
 eo pacto ut ex eis Unum constet. Ex quibus verbis duo Totius ge-
 nera sumuntur: Totius Universalis nimirum & Coniuncti:
Fonsæca *ibid.* Prius *Piccolomineo* acutè & ad mentem Philosophi,
 In Singulis: posterius, Ex Singulis, *libr. 1. Physicorum ad con-*
textum. 4. Aliis alterum Potentionale, Actuale alterum vo-
 catur.

X.

Totum Universale est, quod de Partibus singulis divisim
 dicitur, *Piccolomin. ibidem.* hoc nihil aliud quàm Genus, re-
 spectu suarum Specierum, & Species respectu Individuo-
 rum: *Titelman. libr. 5. Logic. cap. 6. Regius diss. Log. lib. 5. Probl. 10.*
Scheiblerus Top. cap. 28.

XI.

Genus est Totum Speciebus seu Partibus sibi subjectis Es-
 sentiale: eadem definitio Speciei quoque competit, si ad Indi-
 vidua referatur, ut patet ex nostro *System. Log.*

XII.

Totum Coniunctum est, quod constat ex pluribus, de qui-
 bus non dicitur, saltem ut Commune de Particularibus. *Fonsæca*
lib. 5. Metaph. cap. 26.

XIII.

Estque duplex. Alterum enim dividitur in Partes Forma-
 les, alterum in Materiales, *Molineus. libr. 2. Logic. cap. 5.* sive
 quod idem est, vel Essentiale vel Integrale. *Polanus Syntagm.*
Log. lib. 1. pag. 185.

XIV.

Nomine totius Essentialis intelligo id, quod habet Essen-
 tiam compositam, ex Materiâ & Formâ, aut Genere & Diffe-
 rentiâ, *Fonsæca lib. 4. Dial. cap. 4.*

XXV.

Id pro ratione partium duplex est, Physicum & Metaphy-
 sicum

ficum seu Logicum: hoc Partibus Ratione, illud Re, inter se diversis constat. *Combach. lib. 1. cap. 24.*

XVI.

Totum Integrale aliis Quantitativum, *Molineo* Materiale, est quod continet plura constituentia ipsum realiter, non per modum Actus & Potentiæ, sed per modum Continuationis in modo continuo, vel Contiguationis, *Arm. and. Bellovissus cap. 256.* & *Scheibl. in axiom. Philos. exercit. 15. pag. 187.*

XVII.

Totum Integrale est vel Homogeneum vel Heterogeneum. Homogeneum est, quod eandem definitionem & nomen cum partibus habet. Heterogeneum contra: *Ursin. disp. Phil. part. 1. disp. 10.*

XIIX.

Totum Per Accidens est, cujus Partes constituunt Unum, Secundum Quid duntaxat, nec est in eo una Pars, quæ alteram informet, tanquam Actus suam Potentiam Subjectivam, ejusdem Generis, hoc est, Substantialem. *Amandus Polanus Syntagmate Logices pagina 194.* Hoc Totum est per Analogiam ad Totum Per Se tale. Talia sunt, Totum Collectivum, per quod multa entia coagmentata, Unum dicuntur; Causa, quæ in Effectus, Effectus, qui in suas Causas; Subjectum, quod in Accidentia, Accidens quod in Subjecta; Accidens quod in Accidentia dividitur, *Severinus Boëtius lib. de div. pagina. 2.*

XIX.

Unde hoc Totum duplex facimus, Aliud quod componitur ex Entibus unius Prædicamenti, sed non dicentium ordinem per se ad compositionem: Aliud quod componitur ex Entibus diversorum Prædicamentorum.

XX.

Totum quod ex Entibus ejusdem Prædicamenti componitur, & Aggregatum seu Collectivum dicitur, etiam in duplici Differentia est, aliud enim Aggregatum cum Ordine, ut; *Mundus, Philosophia*: Aliud sine Ordine, ut; *Acervus Lapidum. Combach. inst. Log. lib. 1. cap. 35.*

XXI.

Diversis Totius Generibus diversi modi Partium respondent, *Combachius libr. Metaphysic. 1. cap. 24.* Sic Partes quædam sunt Per Se, quædam Per Accidens. Partes Per Se quædam Subjectivæ, quædam Conjunctæ. Conjunctæ quædam Essentiales, quædam Integrales, &c.

XXII.

Quoniam verò quot modis dicitur unum Oppositorum, totidem & alterum, *Guilhelm. ab Isendorn. Effat. Phil. cent. 2. Effat. 10. §4.* & Relatorum uno cognito, cognoscitur & alterum: *Keckerman. libr. 1. System. Logic. Sect. 1. cap. 12.* non est, ut diutius doctrinæ de Partibus, quæ ex præcedentibus cognitu facilis est, inhæreamus: placet Canones nonnullos, & Quæstiones quasdam, subjicere, quæ cum superiore tractatione, ejusdem sunt argumenti.

C A N O N E S

De

T O T O & P A R T E

I N G E N E R E.

1. *Omne Totum est majus qualibet suâ Parte.*
2. *Omne Totum est Unum quid.*
3. *Quicquid prædicatur de Parte, prædicatur de Toto.*
4. *Quod est Partis quâ Pars, est quoque Totius secundum illam Partem.*
5. *Totum & Partes sunt in eodem Predicamento.*
6. *Partes à Toto suo differunt etiam simul sumptæ.*

C A N O N E S D E T O T O

U N I V E R S A L I.

1. *Affirmato Genere, affirmatur id, in quo conservatur Genus.*
2. *Posito*

2. Posito Genere Logico, ad minus duæ Species ponantur, necesse est; ἵνα πλεον γδ (verba sunt Aristot.) ἀφ το γεν & είδες λέγεται, Genus enim semper latius patet quàm species.
3. Affirmato Genere Metaphysica, sufficit una ut ponatur Species.
4. Tota natura Generis continetur in qualibet Specie.
5. Genus predicatur de Speciebus aqualiter.

Ex his Canonibus nonnullæ speciales Regulæ argumentandi elici possunt, quales sunt.

1. A' Genere ad Speciem certam, non licet argumentari affirmativè: ut, non valet, *Bestia est, ergo Leo est, potest enim esse Ursus.*
2. A' Genere ad Speciem licet argumentari negativè, ut *Bestia non est, ergo nec Leo est, nec Ursus, nec Asinus, nec Echinus: Avis non est: ergo nec Parius, nec Bubo, nec Cuculus.*
3. A' Specie ad Genus licet argumentari affirmativè, ut *Molossus est, ergo Canis est; & Motacilla est, ergo Avis est.*
4. A' Specie ad Genus non licet argumentari negativè, ut *Laticornis non est, Ergo nec Cervus.*
5. Sublatis omnibus Speciebus necessariò tollitur Genus.

CANONES DE TOTO CONJUNCTO.

Verum enimverò, cum eadem sit vis argumentandi Totius Essentialis atque Integralis, quorum utrumque actu existit, ac re ipsa ex suis partibus compositum est, *Fonsæca insit. Dial. lib. 4.*

cap. 17. pagin. 464. Itaque Canones utriusque Totius hîc conjunctim ponemus, sicque cum Fons. unâ fideiâ duos dealbavimus parietes.

1. *Posito Toto ponuntur Partes omnes, sublato Toto aliqua saltem Pars tollitur.*
2. *Positis omnibus Partibus, ponitur Totum.*
3. *Sublatâ quacunque Parte, tollitur Totum.*
4. *Pars non est prior Toto, sed Totum semper prius est suâ Parte.*
5. *Non quicquid Totius, est etiam Partis.*
6. *Pars non predicatur de Toto.*
7. *Totum non predicatur de Parte.*
8. *Omnis Pars, respectu Totius, est quid incompletum.*

QUÆSTIONES DE TOTO & PARTIBUS.

1. An omne Totum sit divisibile in suas Partes? A.
2. An de Toto & Parte agendum sit, in doctrinâ de Divisione? N.
3. An doctrina de Toto & Parte pertineat ad Logicam? A.
4. An propterea in Metaphysica locum non habeat? N.

QUÆSTIONES DE TOTO UNIVERSALI.

An de Genere & Specie rectè agatur in Inventionem? A.

An Genus rectè dicatur Totum respectu Speciei? A.

An Homo

An Homo sit Genus respectu singulorum hominum? N.

An Genus insit Speciei. N.

QUÆSTIONES DE TOTO
INTEGRALI & ESSEN-
TIALI.

An Totum Essentiale distinguatur à Partibus realiter, sive simul, sive seorsim sumtis? A.

An Totum Integrale distinguatur realiter à Partibus? N.

An Partes Integrales sint quoque essentielles? N.

An nova sit distinctio Totius in partes Essentiales & Integrales? N. *contra Hesselbeinium.*

An Totum Integrale Homogeneum, prædicetur de suis Partibus? Affir.

F I N I S.



QUESTIONS DE TOTO
INTERACTIONS ÉLÉMENTAIRES

F. I. N. I. S.





